

gata ab humore flatuoso, generato à frigida intemperie jecoris.

XX. SUBJECTUM EIUS ADÆQUATUM est cavitas abdominis. Subjectum autem causæ est jecur, incipit quidem aliquando in ventriculo & intestinis; unde etiam Galenus 3. *symp. caus. c. 1.* & Hippocrates 4. *apb. 11.* videntur constituere ventriculum & intestina pro parte affecta; in jecore tamen definit, nam substantia illa flatulenta, multiplicata in ventriculo, in epa delata ejus obruit calorem; hinc plures postea generantur flatus, qui abdomen distendunt, & elevant in tumorem, qui percussus reboat.

XXI. TERTIA SPECIES vocatur *Ἀνασάρκα, κατασάρκα καὶ ἰσποσάρκα, λευκοφλεγματία*, omnia enim synonyma sunt ejusdem, alia quidem à materia, nempe alba pituita, alia à subjecto desumpta: carnibus enim pituita in ambitu corporis circumfunditur, non autem assimilatur. Definiturque tumor totius habitus corporis & abdominis serosus & pituitosus, in spaciis subtercutaneis potissimum firmatus, excitatus a pituitoso succo generato in jecore, propter ejusdem refrigerationem.

XXII. *Locus collectionis* est potissimum spaciium subtercutaneum, & carnes ipsæ quibus pituita alba circumfusa non agglutinatur; unde ibidem relicta easdem in tumorem elevat laxum & mollem, ita ut sit quasi universale *οἰδημα* totius corporis sine dolore. Subjectum causæ est jecur.

XXIII. *Causa* est sanguificatio læsa, ab intemperie frigida jecoris & venarum, remissiore tamen quam in Ascite, unde pro sanguine generatur pituitosus humor, qui habitum carnosum invadit quidem, sed non agglutinatur & *ομοίωσις* aliquando vitio objecti tantum læditur: cum enim hæc materia in partium naturam sese induere non possit, inutilis & superflua replet poros, & multiplicata partes in tumorem elevat. Concausam aliquando habet ipsam tertiæ concoctionis læsam facultatem, & imbecillitatem carnosæ generis, ut prolixè ostenditur ab Avicenna.